

Quomodo cohaeret tertium praeceptum  
cum duobus praecedentibus?

Sicut primum praeceptum de cultu cordis, secundum de cultu oris praecipit, ita tertium de cultu caeremoniarum et reuerentia externa toti ministerio debita docet et gradus docentium et discentium in ecclesia constituit. 5

Quae sunt officia docentium in ecclesia?

Minister euangelij doceat pure et incorrupte legem et euangelium et ad-[20:] ministret sacramenta secundum Christi institutionem. Praeterea moribus honestis ornet doctrinam, sicut prolixè Paulus vitam episcopi describit ad Titum cap. 1<sup>40</sup> et 1. Timoth. 3.<sup>41</sup> 10

Quae sunt auditorum euangelij officia?

Auditores diligenter discant euangelium et pie vtantur sacramentis et libenter intersint publicis coetibus sacris et agnoscant, quantum bonum sit ministerium publicum, et pro hoc orent et Deo gratias agant. Praeterea ornent honesta vita professionem euangelij, venerentur pios ministros, soluant eis debitas mercedes denique et obediant eis iuxta euangelium. 15

Quae sunt peccata pugnancia cum tertio praecepto?

Pugnant cum tertio praecepto omnia scandala, quibus corrumpitur doctrina et prophanantur sacramenta et deformatur ministerium et ecclesia [21:] item neglectio, contemptus et odium ministerij videlicet doctrinae et sacramentorum et personarum seruientium ecclesiae persecutio. Item ludi prophani et labores seruales, quibus impeditur ministerium. Denique helluationes et comessationes diebus festis, quibus turbatur intentio animi et meditatio rerum diuinarum. 20

<sup>40</sup> Vgl. Tit 1,5–9

<sup>41</sup> Vgl. I Tim 3,1–7.